De diis fato Joveque

in P. Ovidii Nasonis operibus
quae supersunt.

V. Fabricius.

Lipsiae.
In aedibus G. Focki.
MDCCCXCVIII.

866.

Praemonenda.

Disputationi meae subest editio Teubneriana ad Metamorphoses, ad reliquos libros editio Elzeviriana ex recensione Nicolai Heinsii, quae a Teubneriana his rebus parvulis differt: Epistula Sapphus (XV.) in extremis Heroidum epistulis legitur. In Tristium libro tertio teneo Eleg. V. pro Teubneriana Eleg. IV.b, qua de causa habeo Eleg. VI. pro Eleg. V., Eleg. VII. pro Eleg. VI. etc. In Ibis libro editionis Teubn. versus XL—XLIII. praetermissi sunt, versus CXXX et sqq. cum editione Elzev. consentiunt. In Epistularum ex Ponto libro secundo Ep. II. versus XXX.—XXXV. in edit. Teubn. omissi sunt. Praeterea editiones, quoad loci ad disputationem meam spectant, inter se differunt in Epistula Cydippes Aeontio (XXI.) 239, quo Elzeviriana numen, Teubneriana partis tenet et in Fastorum libro II. 457, quo in Teubneriana iam Jovis pro usitato iam levis legitur.

Ovidii libri his notati sunt litteris:

A.I.; A.II.; A.III. = Amorum libri III. ex. c. A.III. El. VIII. 19 = Amorum liber tertius. Elegia VIII. versus 19.

A.A.I.; A.A.II.; A.A.III. = Artis amatoriae libri III.

F.I.; F.II.; F.III.; F.IV.; F.V.; F.VI. = Fastorum libri VI.

H. = Heroides ex. c. H. XX. 26 = Heroidum epistula XX. v. 26.

I = Ibis.

Met. = Metamorphoses ex. c. Met. XI. 235 = Metamorphos: liber XI. v. 235.

M.Fr. = Medicamina faciei fragmentum.

P. = Epistularum ex Ponto libri IV.

R.A. — Remedium amoris liber unus.

T.I.; T.II.; T.III.; T.IV.; T.V. = Tristium libri V.

A. Dii.

§ 1 § 1. Diis immortalibus potestas est data Met. VIII. 730 in diversas transeundi figuras. Neptunus Met. VI. 115—120 abit in equum et in volucrem, in torvum iuvencum ut Antiopam, in arietem ut Bisaltida fallat; sub imagine Enipei cum Iphimedia Aloides gignit et facie delphinis Melanthoni vim parat. Phoebus Apollo Met. VI. 122—124 vertitur in agrestem, accipitrem leonem et ut pastor Macareida Issen ludit. Liber Met. VI. 125 Erigonen falsa uva decipit. Saturnus Met. VI. 126 equi imagine geminum Chironem creat. Mercurius Met. I. 676—77 ut pastor per devia rura capellas agit venitque ad Argum; Met. II. 698 cum voce figuram vertit, ut Battum senem temptet. Apollo cum Neptuno Met. XI. 202—3 mortalem induitur formam, ut Troiae muros aedificet. Proteus Met. VIII. 730—7, ut Achelous Calydonius amnis ait, transire poterat in iuvenem, in violentum aprum, in leonem, in anguem, in taurum, in lapidem, in arborem, in flumen, in ignem; idem A. A. I. 761 leo, arbor, hirtus aper fit et F. I. 373 sua arte faciem transformis adulterat. Alpheus Met. V. 637 specie viri Arethusam urget et posito viri ore in proprias undas vertitur, ut se nymphae misceat. Achelous Met. IX. 63 longum in anguem formatur et ibidem 80 fit taurus, ut se ex Herculis manibus eripiat. Thetis Met. XI. 243—245 in faciem volucris, arboris maculosaeque tigridis vertitur, ut a Peleo evadat. Aesculapius Met. XV. 669 sqq. serpens fit et in navi Romam vehitur, ubi 743 speciem caelestem resumpsit. Musae Met. V. 287—8 Pyrenei insidias sumptis alis effugiunt.

Etiam forma, in quam dei transeunt, a vera hominum aut animalium forma differt. Met. XV. 661 Aesculapius serpentis faciem induitur

. . . . sed maior ero [inquit] tantusque videbor
in quantum debent caelestia corpora verti,

idem 693: . . . . numinis illa

sensit onus, pressa estque dei gravitate carina.

Magno cum amore di deaeque anum simulant: Juno Met. III. 275, ut Semelen frangat; Pallas Met. VI. 26 ut Arachnen a certamine prohibeat. Delectationis autem pleni sunt loci, quibus viri anum simulant, ita Sol Met. IV. 219 in Eurynomes faciem genetricis vertitur, Phoebus Met. XI. 310, Vertumnus Met. XIV. 656, qui etiam faciem induitur messoris, frondatoris, vitisque putatoris, militis, piscatoris denique apte in omnes fingi potest figuras.

Omnibus dis deabusque facultas data est diversas induendi formas exceptis solum Somni filiis Morpheo, Icelo, Phantaso, qui in nullas formas nisi certas et constantes transire possunt. Met. XI. 634 sqq. legimus:

Excitat artificem simulatoremque figurae
Morphea. Non illo iussos sollertius alter
exprimit incessus vultumque sonumque loquendi:
adicit et vestes et consuetissima cuique
verba. Sed hic solos homines imitatur, at alter
fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens,
hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
nominat. Est etiam diversae tertius artis
Phantasos. Ille in humum saxumque undamque trabemque
quaeque vacant anima fallaciter omnia transit.

§ 2. Permagna est potestas immortalium; non solum § 2
se ipsos, sed etiam alios in animalia, plantas, saxa omniaque quae anima vacant, transformant.

Juno Met. II. 476 sqq. Callisto figuram humanam adimit eamque in ursam mutat. Idem F. II. 177 sqq.
Met. IV. 549 sqq. Sidoniarum comitum Inonis reginae partem in saxa, partem in volucres, quae Ismenides vocantur, vertit
Met. VI. 91. Geranem in gruem et
94. Antigonen in candidam ciconiam.
Pallas Met. II. 580 sqq. Coronei filiam in cornicem,
Met. VI. 135 sqq. Arachnen in araneam,
Met. VIII. 251 sqq. sororis Daedali filium in perdicem
Diana Met. III. 193 sqq. Actaeona in cervum,
Met. VIII. 535 sqq. Meleagri sorores in volucres,
Met. XV. 548 sqq. Egeriam in fontem
Ceres Met. V. 448 sqq. ani filium, qui eam avidam vocabat, in lacertam,
657 sqq. Lyncum, Scythum regem in lyncem,
Met. X. 103 sqq. in pinum Attin, qui ex F. V. 227 in florem mutatus erat.
Proserpina Met. V. 538 sqq. Ascalaphum in bubonem,
Latona Met. VI. 369 Lyciae rusticos in ranas,
Venus Met. X. 235—7 sqq. incolas urbis Amathi in torvos transformat iuvencos,
241—2 mulieres eiusdem urbis in saxa,
724 sqq. Adonem in adonium,
Met. XIV. 497 sqq. Acmona eiusque socios in volucres, quae Diomedeae vocantur.
Lucina Met. IX. 315 sqq. Galanthem in mustelam,
Thetis Met. XI. 784 sqq. Aesacum in mergum,
Cybele Met. X. 695 sqq. Hippomenem et Atlantam in leones
Met. XIV. 549 sqq. Aeneae naves in Naiades.
Circe Met. XIV. 276 sqq. Ulissis comites in animalia eisque Ulissis iusso pristinam formam dat.

Circe Met. XIV. 383 sqq. Picum, Ausoniae regem, in avem eiusdem nominis.

412 sqq. Pici comites in diversa animalia

R. A. 269: vertere tu poteras homines in mille figuras.

NB. Huc pertinet, nisi me fallor, Met. XIV. 358—9, quo Circe effigiem nullo cum corpore falsi capri fingit.

Psamathe nympha, Nerei filia, Met. XI. 401 sqq. lupum marmore mutat.

Musae Met. V. 665 novem filias regis Pieri eiusque coniugis Euippes in picas.

Ladonis liquidae sorores Met. I. 703 sqq. Syringem in plantam eiusdem nominis.

Neptunus Met. VIII. 609 sqq. Hippodamae filiam in insulam Perimelam.

Met. XII. 143—5 filium suum Cygnum in albam volucrem eiusdem nominis.

Mercurius Met. II. 705 sqq. Battum senem in silicem.

820 sqq. Cecropis filiam Aglauron in nigrum saxum.

Sol Met. IV. 251 sqq. Leucotheam in tuream virgam.

Liber Met. III. 671 sqq. nautas Maeonias Acoetae comites in monstra maritina vertit

Met. IV. 402 sqq. tres Minyae filias in volucres

391 sqq. Bacchi potentia telae virescere coeperunt et vestis frondescere, pars abit in vites pars in palmitem et pampinus de stamine exit.

Met. III. 664—5 hederae impediunt remos et gravidi corymbi in velis pendent.

Met. XIII. 669 sqq. Anii regis filias in niveas vertit columbas.

Apollo Met. VII. 388—9 Cephison in tumidam phocen

Met. X. 195 sqq. Hyacinthum in plantam eodem nomine.

Met. XI. 56 sqq. draconem in lapidem

68 sqq. mulieres, quae Orpheum necaverant, in arbores.

339—45 Daedalion in accipitrem.

Peneus Met. I. 548 sqq. Daphnen filiam ab Apolline pressam in lauream.

§ 3 § 3. Sunt etiam non pauci loci, quibus incertum et dubium est, quis mortalium auctor fuerit transformationis.

a) sic in animalia mutantur:

Met. II. 367 sqq. Cycnus, Sthenelei filius, Ligurum rex in volucrem eodem nomine.

665 sqq. Chironis filia Ocyrrhoe in equam.

Met. IV. 576 sqq. Cadmus eiusque coniunx in placidos dracones.

Met. V. 552 sqq. Acheloides, Acheloi et Melpomenes filiae, in sirenes.

Met. VI. 666 sqq. Pandionis filiae in volucres.

671 sqq. Troum rex Tereus in upupam [epopen].

Met. VII. 466—7 Arne in monedulam.

378—9 Cycnus, Hyries et Apollinis filius, in avem eiusdem nominis.

Met. VIII. 147—151 Scyllae et Nisi filia in cirem

145—6 Nisus, Megarae rex, in haliaeetum.

Met. XI. 731 sqq. Ceyx et Alcyone in alcyones.

Met. XII. 522 sqq. Caeneus in avem.

Met. XIII. 567 sqq. Hecuba in canem.

b) in arbores, plantas, saxa, fontes aliasque res vita carentes vertuntur

Met. II. 346 sqq. Phaetusa et Lampetie, Phaetontis sorores, in arbores, ex quibus electra destillat.

Met. III. 393 sqq. Echo in lapidem sonantem.
509 sqq. Narcissus in florem eiusdem nominis.
Met. IV. 266 sqq. Clytie in heliotropium.
Met. V. 425 sqq. nympha Cyane in fontem.
632 sqq. Arethusa in amnem.
Met. VI. 301 sqq. Niobe in marmor.
396 sqq. Marsyae lacrimae in Marsyam amnem.
Met. VII. 380—1 Hyrie in stagnum.
444—7 Scironis ossa in scopulos
790 Cephali canis, Laeleps, et vulpes quam insequitur in marmor.
Met. VIII. 577 sqq. quinque Naiades in totidem insulas, quae Echinades vocantur.
712 sqq. Baucis et Philemon in arbores, haec in tiliam, ille in quercum.
Met. IX. 211 sqq. Lichas in scopulum eiusdem nominis.
346 sqq. nympha Lotis in lotim florem.
349 sqq. Dryope in lotum.
Met. X. 130 sqq. Cyparissus in cupressum.
483 sqq. Myrrha in florem eodem nomine.
Met. XII. 22 sqq. anguis in lapidem.
Met. XIII. 394 sqq. Aiax in hyacinthum.
885 sqq. Acem in fontem amnemque.
Met. XIV. 72—4 Scylla in scopulum.
429 sqq. Canens in leves evacuit auras.
523—26 Apulus quidam pastor in oleastrum; an nymphae, quas contumelia affecit, eius sortis auctores erant?
753 sqq. Anaxarate in saxum.

§ 4. Vertuntur partes, forma servatur. § 4

Apollo Met. XI. 174 sqq. Midae aures in aselli aures transformat,

Met. II. 536 sqq. albas corvi pennas in nigras.

Neptunus Met. XII. 199 Caenem in virum superque dat, ne saucius ullis vulneribus fieri ferrove occumbere possit.

Juno Met. III. 333—9 Tiresiam oculis privat.

358 sqq. Echus nymphae vocem in resonabilem echo vertit.

Aurora Met. VII. 721 sqq. Cephalum talem faciem dat, ut Procris eum non agnoscat.

Hebe Met. IX. 400 Iolao seni iuventutem reddit.

Circe Met. XIV. 55 sqq. Scyllae femora, crura pedesque in canes.

Medea Met. VII. 285—93 Aesoni seni et

294—96 nymphis quae Bacchum educaverant, iuventutem reddit.

314—21 ovem in agnum vertit.

Pallas Met. IV. 799 sqq. praeclaros Medusae crines in hydros

Isis Met. IX. 786—97 Iphem in virum transformat.

Immortales Met. III. 324 Tiresiam in feminam vertunt, quae septem annis post pristinam faciem viri accipit.

Met. IV. 125 sqq. fructus mori nigri fiunt.

Huc etiam referunt:

Met. XV. 43—9 quo loco Hercules nigros lapillos, qui Miscelum damnant capitis in albos mutat, quibus culpa absolvitur.

Met. IV. 371 sqq. quo immortales i. e. Mercurius et Venus inixta duorum corpora iungunt faciesque Hermophrodito et Salmaci induitur una.

Memoratu etiam dignissimus est Met. X. 280 sqq. quo loco Venus statuam a Pygmalione caelatam in virginem vertit. Qui locus unus est ex omnibus transformationibus, ubi res vita

carens in animal transit. Qua de re constat Veneri homines procreandi potestatem datam esse; num autem aliis deis eadem data sit facultas in dubio est et apud Ovidium nusquam legitur.

§ 5. Facultas efficiendi transformationes data etiam Medusae capiti erat. § 5

Met. IV. 655 sqq. Atlas in montem vertitur.
741 sqq. foliae et virgae sub aequore natae tactu capitis induruerunt.

Met. V. 1—233 Pineus cum amicis suis et CC comitibus in statuas lapideas,
248—9 Polydectem in silicem mutatur.

De Medusae sanguine pennis fugax Pegasus eiusque frater nati sunt, (Met. IV. 785—6 et F. III. 451) et cum Perseus super Lybicas arenas cum Gorgoneo capite penderet guttas cruentas, quae in terram deciderunt, humus excepit et in varios animavit angues. Quibus locis addendi sunt Met. VII. 416—9, ubi ex spumis, quibus Cerberus rabida ira concitus virides sparsit agros, aconitum ortum est.

Etiam Terra fertilem vim habet.

Met. I. 156—60 cum gigantes Pelione et Ossa iacerent, terra multo natorum sanguine perfusa immaduisse calidumque cruorem animasse et in faciem hominum vertisse fertur.

Met. I. 416: cetera diversis tellus animalia formis sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne percaluit solis, caenumque udaeque paludes intumuere aestu, fecundaque semina rerum vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo, creverunt faciemque aliquam cepere morando.

Met. I. 438: adidit innumeras species, partimque figuras rettulit antiquas partim nova monstra creavit.

Illa quidem mollet, sed te quoque, maxime Python
tum genuit.

Met. XIII. 391—8 tellus Aiacis sanguine rubefacta purpureum hyacinthum de viridi genuit cespite.

In fabula quoque de lapidibus, quos Deucalion et Pyrrha sua post vestigia mittunt, vulgo tellus numen fecundans habetur, sed Met. I. 250—2 legimus:

Talia quaerentes, sibi enim fore cetera curae
rex superum trepidare vetat, subolemque priori
dissimilem populo promittit origina mira.

Quo ex loco Iovem esse auctorem intellegitur, quamquam 411 superorum numine scriptum est, quae verba parum definita et iusto latius patentia percipienda sunt; quod 250—2 dubitationem nullam habent, quin Juppiter effector sit et parens hominum e lapidibus gignentium. Eodem modo interpretandi sunt Met. III. 101 sqq., quo Cadmus Palladis iussu vipereos dentes motae supponit terrae ex qua armati exsistunt viri et Met. VII. 121 sqq. ubi Jason vipereos dentes spargit in aratos agros, quibus ex seminibus fiunt homines, qui inter se pugnantes ad unum omnes pereunt. Met. III. 101 sqq. animum inclinat ut credam Palladem, cuius iussu Jason vipereos dentes seruerit, auctorem fuisse terrigenarum. Met. VII. 121 sqq. pro certo nihil dictum est, at si reliquorum analogias locorum sequimur et eo loco superi sive eorum rex Juppiter auctor est, praesertim cum nulla contrariae sententiae ratio sit. Idem dici potest de Met. XIV. 574, quo ex cinere urbis deletae Ardeae subvolat volucris eiusdem nominis, si comparamus Met. XIII. 600 sqq., quo loco Aurora a Jove petit, ut Memnoni filio aliquem honorem mortis solacia det. Juppiter annuerat et ex Memnonis cinere existunt volucres, Memnonides dictae, quae quotannis die, quo Aurorae filius ex vita

excesserat, ferociter inter se bellum gerunt se viro forti creatos esse reminiscentes.

§ 6. Sunt etiam loci, ex quibus perspicuum est deos sibi carissimis attribuere facultatem in diversas transeundi figuras. Met. XI. 100 sqq. Bacchus Midae, qui Silenum tectis et sedibus acceperat potestatem dat omnia, quae tangit, auro mutandi. Neptunus Met. XII. 556—8 Periclymenum figuras sumere posse quas vellet dederat et sumptas rursus reponere. Idem Neptunus Met. VIII. 850 sqq. Erysichthonis filiae, quae nunc equa nunc ales, modo bos modo cerva fieri poterat. § 6

Etiam veneficarum potentiae dii auctores sunt. Medea Met. VII. 192—198:

Nox, ait, arcanis fidissima, quaeque diurnis
aurea cum luna succeditis ignibus, astra,
tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
adiutrix venis cantusque artesque magorum
quaeque magos, Tellus, pollentibus instruis herbis
auraeque et venti montesque amnesque lacusque
dique omnes nemorum, dique omnes noctis adeste.

Circe quoque quamquam dea est multaque valet, tamen Met. XIV. 404 noctem noctisque deos Ereboque Chaoque convocat et longis ululatibus Hecaten orat, cum Pici comites in variarum ferarum formas transformabat. Omnium magorum maxima a veteribus Medea putabatur.

Met. VII. 98: Jason ab ea cantatas herbas accepit, quae eum contra ignes bovum inhalatos muniunt.

Met. VII. 137 Medea carmen auxiliare canit, ne gramina a se data parum valeant.

149 Lethaei gramine suci draconem sparsit, ut eum sopiat

199 deis nemorum et noctis iuvantibus Medea

efficere potest, ut amnes ripis mirantibus in fontes suos redeant, freta concussa stent et stantia concutiantur; nubila pellit nubilaque inducit, ventos abigit et vocat, vipereas fauces verbis et carmine rumpit, vivaque saxa et silvas movit; tremescere montes et solum mugire, manesque exire sepulcris iubet, lunam trahit eiusque venenis Aurora pallet.

Met. VII. 218 curru a draconibus tracto provehitur.

350 pennatis serpentibus in auras abit.

391 vipereis pennis Ephyren contingit.

424 denique nebulis per carmina motis effugit necem.

Vide etiam Hypsipylis litteras Jasoni de Medea H. VI. 85 sqq. Similiter Naso in Amorum libro T. El. VIII. 9—14 de potentia veneficae, nomine Dipsas, scribit:

Cum voluit, toto glomerantur nubila, caelo
cum voluit, puro fulget in orbe dies.
sanguine, si qua fides, stillantia sidera vidi;
purpureus Lunae sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
suspicor et pluma corpus anile tegi.*)

§ 7 § 7. Deorum sub dicione et imperio natura est, nubes quidem omnibus oboedientes sunt.

*) Vide autem M. Fr. 37—42 quo Naso nihil iam sperat de Marsis cantibus, nihil de graminum vi:

Nec vos graminibus, nec misto credite succo.
Nec tentate nocens virus amantis equae.
Nec mediae Marsis finduntur cantibus angues
Nec credit in fontes unda sapina suos.
Et quamvis aliquis Temesaea removerit aera,
nunquam Luna suis excutietur equis.

Diana Met. V. 620—1 inicit super Arethusam nebulam.

Met. XII. 32 oculis nubem obicit et Iphigeniam mutat supposita cerva.

Met. XV. 537 Cynthia densas obiecit nubes, ut Hippolytum servaret.

Apollo Met. XII. 598 velatus nebula in agmen pervenit Troum.

Circe Met. XIV. 369 Picum nebula velat ita ut eius comites caecis limitibus vagentur eumque invenire non possint.

Juno Met. III. 273—4: .... fulvaque recondita nube limen adit Semeles.

Met. I. 609 quo Juppiter, ut liber ab arbitris Inachi filiam amplectatur, se Jonemque nebulis velat, Iuno has nebulas recedere iubet.

Venus Met. XV. 804—6 Caesarem aetheria condere nube vult, qua prius Paris infesto Atridae ereptus est et Aeneas Diomedis ensi.

Nephele F. III. 865 Hellen et Phrixum nubi condidit, ut eos a morte eriperet.

Ceres F. IV. 561 nubem trahit inque dracones transit et aligero tollitur axe.

Qua potestate etiam venefica celeberrima Medea abundat.

Met. VII. 424: effugit illa necem, nebulis per carmina motis.

Ultra Met. XIV. 542—3 deum genetrix:

intonuit dicente dea tonitrumque secuti
cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi.

Met. III. 699—700 Liber carceris fores aperit et nullo solvente catenae labuntur, quibus Tyrrhenus Acoetes vinctus erat.

Met. IV. 75 Neptunus longo tridente aspera saxa ferit
et medio e saxo exilit ferus.

Met. VI. 80 Pallas cuspide sua terram percussit et cum
bacis fetus edit canentis olivae.

Met. XIV. 48 poeta de Circe dicit:

.... ingreditur ferventes aestibus undas,
in quibus ut solita ponit vestigia terra
summaque decurrit pedibus super aequora siccis.

Huc pertinent etiam Met. VIII. 679—81, ubi Juppiter et Mercurius faciunt, ut crater totiens haustus repleat et vinum succreserat. et Met. XI. 306—8, quo Mercurius virga soporem movente Chiones os tangit et somno sopita dei vim patitur. Idem Met. I. 715:

.... firmat soporem
languida permulcens medicata lumina virga.

et Met. XV. 843, quo Venus media sede senatus in urbe Roma constitit nulli cernenda.

§ 8 § 8. Dii divinatione praediti sunt.

Proteus Met. XI. 250 Peleo dicit, quomodo Theti potiri possit.
F. I. 377—78 Aristaeo, quomodo apes nansciscatur
Met. XI. 221 sqq. Theti:

.... mater eris iuvenis, qui fortibus actis
acta patris vincet, maiorque vocabitur illo.

Thetis Met. XIII. 162 praescia est venturi leti Achillis

Apollo Met. I. 517—8: .... per me quod eritque fuitque
estque patet.

Met. X. 206—7: tempus et illud erit, quo se fortissimus heros
addat in hunc florem folioque legatur eodem.

H. XXI. 232: fata canens deus.

F. II. 713 sortem dat.

F. VI. 425 non mentito ore reddidit hos sonos: si deam servatis, servabitis urbem; imperium illa secum transfert.

Aurora Met. VII. 712 de se ipsa mentem eius providam esse dicit.

Diana Met. III. 191 addidit haec cladis praenuntia verba futurae.

Themis Met. IX. 403 sqq. venturi praescia est.

Met. IV. 642: .... Themis hanc dederat Parnasia sortem-oraculum.

Met. I. 321: fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat.

Hercules Met. XV. 17: .... aevo nepotum hic locus erit.

§ 9. Divinationem dei dono dant etiam hominibus ut benevolentiam et favorem. § 9

Tiresias Met. III. 336—8: .... pro lumine redempto scire futura dedit [Juppiter]

348 Narcissi fatum praedicit, idem

517 Penthei.

Sibyllae nymphae Met. XIV. 106 Apollo vaticinationem tribuit.

Carmenta F. I. 474 ab Apolline divinationem impetrat.

509—537 magnitudinem Romae et gentis Juliae splendorem praedicit.

F. VI. 535 Inoni fata venientia atque eius filio canit.

Ignotum est, quis superum mortalibus vaticinationem dederit; solum divinatione eos re vera praeditos esse scimus.

Mutata (Leucothea) F. VI. 563 consuli Rutilio cladem praedicit.

Mopsus Met. XII. 455—6, ut ait Nestor, futura cecinit.

Helenus Met. XV. 439 Priami filius, Aeneae praedixit Romae magnitudinem, etiam

Met. XIIII. 722 cuncta fideli monitu praedixerat.

Tages Met. XV. 557: oraque venturis aperire recentia fatis
indigenae dixere Tagen, qui primus Etruscam
edocuit gentem casus aperire futuros.

Cassandra H. V. 115 sqq. Oenonae futura canit.

Manto Met. VI. 157: nam sata Tiresia venturi praescia Manto.

Telemus Eurymides Met. XIII. 770 sqq. Polyphemo praedicit eius unum in fronte media lumen ab Ulisse rapi. Idem Ibis 270.

Ocyrrhoe Met. II. 639 Chironis centauri filia fatorum arcana canit.

Calchas Met. XII. 18—21 et 27—9 Thestoris filius sanguine virgineo placata Dianae ira Troiam casuram.

Astylus Met. XII. 309: Nec fuge, ad Herculeos, inquit, servaberis arcus.

Titania Met. XIV. 438: Ancipitesque vias et iter Titania vastum
dixerat et saevi restare pericula ponti.

Quibus locis adde etiam Met. I. 268: fata canet vates.
Met. IV. 8, quo sacerdos quidam
. . . . saevam laesi fore numinis iram
vaticinatus erat.

et vates quidam, cui Priamus coniugis suae visa refert, H. XVI. 49 canit arsurum Paridis igni Ilion.

§ 10 § 10. Sed non sunt in hoc omnia. Oceanus et Thetis Met. XIII. 949 sqq. Glauco quod mortale est afferunt eumque deum maris faciunt. Idem Neptunus Met. IV, 519 sqq., qui Veneris precibus commotus Inonem et Milecertum, hanc Leucothea nomine, illum Palaemon deis suis aquarum addit. Posteriore ex loco cognoscitur eam vim atque potestatem non omnibus diis communem esse, quod ni ita se haberet, Venus a Neptuno non petiisset, ut carissimos suos in deorum

numerum deferret. Vide etiam Met. VIII. 594, ubi Achelous Neptunum implorat, ut amicam Perimelen insulae formam det et Met. XIV. 585, quo loco Venus multis et supplicibus verbis Jovem orat ut Aeneam, qui eum avum fecerit, quamvis parvum, det numen et Met. XIV. 806 ubi Mars Jovem hortatur, ut praemia promissa solvat et ablatum terris Romulum imponat caelo et Met. XIII. 587 sqq. quo Aurora Jovem implorat ut filio Memnoni aliquem, solacia mortis, honorem det. Huc forsitan refert Met. XV. 533 sqq., ubi Diana Hyppolito immortalitatem dat nomenque Vibrium, qui nemus colit et unus de diis minoribus sub numine dominae latet.

Quibus ex locis intellegi videtur posse deis maioribus ut Neptuno, regi omnium numinum, quae aquae tenent et Dianae, quae in silvis et nemoribus imperat, inest potestas in numerum deorum referendi qui eorum dicioni subiecti sunt. At contra, quod Neptunus deum fecerit, qui postea nemus incoluerit aut Diana in suas retulerit, quae postea undas tenuerint, nullus exstat locus in Ovidii operibus quo scriptum similius est.

Non indignum etiam videtur animadvertere ad Apollinis potestatem qui Met. II. 628—30 utero Coronis fetum eripit eumque in antrum gemini Chironis educandum fert. His locis adde Met. VIII. 179 A. A. I. 557 F. III. 510 quo Liber Ariadnes coronam caelo immisit, F. III. 414 idem Ampelonem in astra vehit et F. V. 543 Latona Orionem nitentibus astris addit.

§ 11. Immortalium vis quanquam permagna et amplissima videtur, tamen multis locis circumcisa et angustissima est. Exempla afferamus. Met. II. 615 sqq. Apollo carissimum suum Hyacinthum, quem incaute interfecit, servare non potest et omne quod eius causa facere potest, est quod eum in florem vertit. Met. I. 548 sqq. quo Daphne, cuius desiderio § 11

Apollo flagrabat atque ardebat, Peleum patrem orat, ut mutando perdat figuram. Hic eius precibus obsequitur et Apollo amans iuxta stat impotens spectatorque est qua ratione Daphne carrissima in lauream transit. Idem Met. XI. 321 impedire non potest, quominus Chione, quae se praeferre Dianae sustinebat, a dea interficiatur; et idem Apollo Met. II. 615 sqq., quanquam deus artis medicinae est, tamen Coronem ab interitu retrahere non potest.

In § 8. deos futuri praescios esse scriptum legimus. Hoc moderandum est, quod non solum saepius non congruit sed contra deorum mens rarissime rerum futurarum provida est et dei, quae eventura sint, plerumque nesciunt.

Juno, superum regina futuri ignara est. Quod cognoscimus ex Met. IV. 416—542, quo Juno Cadmi progeniem, Inonem et Athamam persequitur. Sed neque Inonem neque eius filios premisset, si eos in deorum numerum referri praescisset.

Met. I. 605 sqq. nebulas sub nitido die animadvertit et cum circumspiceret, ubi coniunx esset neque eum videret, ab aethere summo delapsa constitit in terris nebulasque iussit recedere. Nunc demum maritum videt.

Met. II. 476 sqq. Callistonem in urvam transformat nesciens inimicam aliquando cum filio caelo imponi.

F. III. 769 Bacchum quaerit et Nysiades nymphas eum hedera instravisse ignorat.

Vide etiam Met. II. 508 sqq. iram Junonis imbecillam, cum inter sidera pelicem animadverteret et verba quae apud Thetim et Oceanum dicit.

Sol Met. II. 42—46 pollicetur se Phaetonti omnia quae optet daturum; sin autem filii sui fatum prae-

scivisset, tam incaute et imprudenter non egisset.

Met. II. 124—5 nequaquam Phaetontis mortem praesciit sed pectore patris sollicito de insanis filii postulatis suspiria repetit.

Met. IV. 192 sqq. dubium est an Sol ita egisset, si miserabile fatum Leucothoes praescisset.

Alio autem modo interpretandum est A. A. II. 573: qui Solem fallere possit? Sol diei lumen omnia videt quae accidunt eaque de causa falli non potest.

Ceres Met. V. 438 sqq. et F. IV. 455—620 omnibus in terris quaerit Proserpinam et Met. V. 572 nescit cur Arethusa fugerit versaque in sacrum fontem sit.

Inachus Met. I 585 . . . . nescit vitane fruatur an sit apud manes. [Jo]

Pan Met. I. 700 sqq. Syringam nympham sequitur ut ei vim paret. Sin autem scivisset sibi prae nympha unam cannam in manibus futuram, non minus Syringam persecutus esset quam Apollo Daphnen et consectatione nihil proficiente destitisset.

Pelagi deus Met. II. 574 sqq. Coroneum secutus non esset, si virginem in corvum se verti praesciisset.

Pallas Met. V. 294 sqq. non quaesivisset a musis historiam VII. picarum, si praescia esset venturi.

Venus Met. X. 640 sqq. non adiuvisset Hipponem, si scisset eum se falsurum.

Met. X. 708 sqq. Adonem non reliquisset, si eius mortis praescia esset.

Met. IV. 171—189 Mars cum Venere lectum non petiisset, si Vulcanum eos de-

prehensurum praesciissent. idem
A. A. 562—590.

Met. XV. 815 Juppiter Veneri dicit:

.... ne sis etiam nunc ignara futuri.

Vulcanus Met. IV. 173 sqq. nescit quae in domo sua gerantur
et unus Sol ei Veneris furta monstrat.

Apollinem ipsum qui de se Met. I. 517 dixerat:

.... per me quod eritque fuitque
estque patet,

Met. I. 491 sua oracula fallunt.

Met. X. 173 Apollo discum non iecisset, si praescius fuisset se hoc Hyacinthum suum interfecturum, idem

Met. I. 548 sqq. Daphnen sibi eripi et in lauream verti nescit, etiam

Met. II. 598 non credidisset corvo narranti Coronida cum iuvene Haemonio iacentem vidisse.

Thetis etiam, quae Met. XIII. 162 praescia venturi leti Achillis erat, Met. II. 156 fatorum ignara est nepotis et
Met. XI. 257—65 iterum non venisset in antrum si Peleum ei paraturum vim provida fuisset.

De immortalibus praeterea Met. I. 246 legimus:

est tamen humani generis iactura dolori
omnibus et quae sit terrae mortalibus orbae
forma futura rogant. quis sit laturus in aras
tura? ferisne paret populandas tradere terras?

B. Juppiter.

Omnia quae in paragraphis prioribus deis propria etiam Jovis est, qui

§ 12. faciem hominum, animalium rerumque induitur. § 12

Met. VIII. 126 specie mortali cum Mercurio, et unus

Met. I. 213 humana sub imagine terras lustrat.

Met. II. 850 induitur faciem tauri. Idem A. III. El. XII. 35. H. IV. 56, et

425 faciem cultumque Dianae.

Met. X. 157 alite [aquila] vertitur, ut Ganymedem rapiat A. III. El. XII. 34.

Met. VI. 110 Satyri celatus imagine Antiopen, Nyctei filiam, gemino feto implet.

112 Amphytryon fuit, ut Tirynthiam caperet.

113 aurum, ut Danaen. Idem A. III. El. XII. 34; ignis, ut Aeginam.

114 pastor, ut Mnemosynen et serpens, ut Proserpinam vitiaret.

§ 13. homines in animalia, plantas, saxa et animalia in homines transformat. § 13

Met. I. 232 sqq. Lycaonem, Arcadum regem, in lupum mutat.

610 sqq. Ionem, Inachi filiam in iuvencam, et

738 sqq. vultus priores Io capit.

Met. VII. 614 sqq. myrmidones in homines vertit.

Met. XIII. 600 sqq. ex Memnonis igne volucres exsistunt.

Met. XIV. 91—100 Pithecusae insulae incolas in cercopes vertit.

§ 14 § 14. mortales in deorum numerum refert.

Met. IX. 262 sqq. Herculem, qui in Oeta monte se flammis tradiderat quadriiugo curru radiantibus astris intulit.

Met. II. 507 Callistonem a Junone ursa mutatam una cum filio suo Arca caelo imposuit vicinaque sidera fecit. Idem F. II. 188.

Met. I. 583—747 Inonem in deas recipit.

Met. XIV. 816 sqq. Romulum, ut Marti promiserat, in deorum numerum refert eique Quirini nomen dat, una cum coniuge Hersilia sub nomine Horae. Vide etiam F. II. 483 sqq.

585 promissa persolvit Veneri et Aeneam sub nomine Indiges divino honore habet dignum.

F. V. 617 taurum astris recipit, idem

F. II. 117 delphina.

F. III. 808 milvum.

F. VI. 762 Aesculapium.

F. V. 716 Castorem et Pollucem.

F. V. 127 nutricem et nutricis fertile cornu sidera fecit. [capram].

Huc etiam refert F. V. 530, quo Juppiter cum Mercurio hospitio ab Hyrieo exceptus eius voluntati satisfacit ex suaque et Mercurii urina Orionem enasci iubet.

Quae quoque facultas mortales referendi in immortalium numerum ei cum aliis deis communis est. Etiam Oceanus cum Theti Met. XIII. 949 sqq. et Neptunus Met. IV. 519 sqq. et Diana Met. XV. 533 immortalitatem dant carissimis suis eosque in numerum deorum, qui eorum dicioni subiecti sunt, referunt. Idem potestatem cum Appolline participat Met. III. 310 sqq. infantem ab Semeles alvo eripit eumque Inoni, tum

nymphis Nyseidibus ad educandum dat. Quod etiam Apollo Met. II. 628—30 fecit, cum natum utero Coronis eripiebat eumque in Chironis antrum ferebat.

§ 15. Epitheta Jovis pervaria sunt. Met. II. 678 legimus: iussa magni Jovis. Idem Met. XIII. 585; A. I. El. X. 8; F. I. 587; 650; F. II. 670; F. III. 730; F. V. 248; F. VI. 196; A. A. I. 714; II. 540; H. XIV. 95; T. III. El. I. 38 [pro Augusti magni domo]; Met. VII. 617: magnus pater. § 15

Epitheton magnus non solum Jovi sed etiam aliis diis proprium est. Met. V. 320:

. . . . et extenuat magnorum facta deorum.

Idem T. II. 184; T. III. El. III. 31; Ib. 92; P. I. Ep. V. 70 et multis aliis locis. R. A. 276 Circe magni filia Solis appellatur F. II. 436 Juno [Lucina] magna nominatur et T. III. El. I. 78 de Caesare dicitur: maxime dive. Magna numina legimus Met. VI. 315; A. III. El. XI. 47 etc. Epitheta autem uni Jovi haec sunt: Magnus Tonans: Met. I. 170. Tonans: F. IV. 585 et F. VI. 33 Juno Tonantis matrona dicitur. Summe deum Jovem Thetis alloquitur Met. II. 280 et poeta Met. IV. 756. Summum deum Juppiter se ipsum nominat F. II. 592. Iustus Juppiter invenitur H. VI. 152. Altus: F. VI. 188 et A. A. II. 38. Invictus: F. VI. 650. Genitor: Met. XV. 807 et XIV. 808. Deum genitor: Met. XIV. 91; A. I. El. XIII. 45; F. III. 285. Pater Met. I. 163 et 487. Pater optimus: Met. VII. 627. Divumque hominumque parens: Met. XIV. 807. Altorum rexque paterque deum Numa Jovem alloquitur F. III. 334. Rex mundi: T. IV. El. III. 65 Rex superum: Met. I. 251 et X. 155. Summe deum rector Met. XIII. 599. Superum rector: Met. I. 668. Vasti Olympi rector: Met. II. 60. Rector Olympi: Met. IX. 499. Genitor deum rectorque: T. II. 37. Omnipotens: Met. II. 505 et XIV. 816. Pater omnipotens: Met. II. 304; 401; III. 336; IX. 271 qualis

penates evertit Met. I. 231 et gigantum vim perfrangit Met. 151—6. [T. II. 333].

§ 16 § 16. Conferamus nunc locos, ex quibus Jovem primum atque summum omnium deorum esse intellegi potest.

Quis enim mundi procreator sit in incerto relinquitur.

Met. I. 20 legimus:

hanc deus et melior litem natura diremit,

idem

32 . . . . quisquis fuit ille deorum.

48: sic onus inclusum numero distinxit eodem
cura dei.

57: his quoque non passim mundi fabricator
habendum aera permisit.

Non minus integrum poeta relinquit generis humani ortum.

Met. I. 78 sqq.: . . . . sive hunc divino semine fecit
ille opifex rerum, mundi melioris origo,
sive recens tellus seductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina caeli.

Aetate, quae aurea nominatur, Saturnius imperat.

Met. I. 89—114 ei Juppiter succedit, qui IV. tempora anni fingit.

116 sqq.: Juppiter antiqui contraxit tempora veris
perque hiemes aestusque et inaequales autumnos
et breve ver spatiis exegit quattuor annum.

b § 16b. Ut aliis diis sic etiam Jovi nubes et natura oboedientia sunt.

Met. I. 599. caligine terras occuluit, ut Inonem caperet

Met. XIV. 815 sqq.: annuit omnipotens et nubibus aera caecis
occuluit tonitruque et fulgure terruit orbem.

Met. III. 299: .... vultuque sequentia traxit
nubila, quis nimbros inmixtaque fulgura ventis
addidit et tonitrus et inevitabile fulmen.

Quibus locis cognosci potest Jovem non solum naturae imperare sed etiam fulgura et tonitrum in eius potestate esse. Qua re multo aliis deis antecedit. Vide etiam.

Met. II. 306: .... summamque petit arduus arcem
unde solet latis nubes inducere terris
unde movet tonitrus, vibrataque fulmina iactat.
Sed neque quas posset terris inducere, nubes
tunc habuit, nec quas caelo dimitteret, nubes
intonat, et dextra libratum fulmen ab aure
misit in aurigam.

Met. I. 179: terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem, cum qua terram, mare, sidera movit.

Sol de Jove Met. II. 61: .... vasti quoque rector Olympi,
qui fera terribili iaculatur fulmina dextra.

Tellus de Jove Met. II. 279: .... quid o tua fulmina cessant.

Poeta de Jove Met. II. 848: .... cui dextra triculcis
ignibus armata est.

Idem Met. I. 154, 596; A. II. El. 15, El. V. 52. A. III. El. III. 30; 35. F. III. 347 F. IV. 834 F. V. 42; R. A. 370.
F. V. 713: Juppiter Idam,
F. VI. 759 Aesculapium fulmine necat.

§ 16c. Praeterea poeta de Jove dicit Met. II. 848—9: c
Ille pater rectorque deum ....
.... qui nutu concutit orbem.

Met. XV. 858: .... Juppiter arces
temperat aetherias et mundi regna triformis.

F. II. 489: Juppiter annuerat; nutu tremefactus uterque
est polus et caeli pondera sensit Atlas.

Met. III. 6: . . . . quis enim deprendere possit
furta Jovis?

Met. II. 437: . . . . sed quae superare puella
quisve Jovem poterat superum?

Apollo de Jove Met. II. 677: . . . . nam nec rescindere magni
iussa Jovis poteras.

Sol de Jove Met. II. 62: . . . . et quid Jove maius habemus?

Orpheus de Jove Met. X. 148: . . . . cedunt Jovis omnia regno.

F. V. 125: invicto nil Jove maius erat.

F. II. 38: iure capax mundus nil Jove maius habet.

Juppiter de se ipso Met. I. 197: . . . . mihi qui fulmen, qui
vos habeo regoque.

595: . . . . qui caelestia magna
sceptra manu teneo sed qui vaga fulmina mitto.
Idem F. IV. 594.

F. III. 369: ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit.
371: et media caelum regione dehiscere coepit.
373: Ecce levi scutum versarum leniter aura
decidit.

Rector universi, rex hominumque deumque non patitur Met. II. 304 Phaetontem in patris curru terram et caelum comburere. Fulmen potenti dextra in aurigam mittit eumque de rotis in terram deicit. Quo facto vigilans et diligens curator rerum ingentia moenia caeli circumiit et, ne quid viribus ignis labefactum cernat, explorat, deinde terras hominumque labores perspicit. Quod corruptum reficit, ita in Arcadia fontes et flumina restituit, terrae gramina dat, arboribus frondes laesasque silvas revirescere iubet Met. II. 401—9.

§ 17 § 17. Deorum potentia cum Jovis comparata nihil valet,

pro nihilo est. Quam graviter queritur Juno cum Oceano et Theti de Callistus fato! Met. II. 512; tum illa desperationis plena 520:

O ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est!
Esse hominem vetui, facta est dea! hic ego poenas
sontibus impono, sic est mea magna potestas!

Juppiter concilium caelestium advocat Met. I. 167 sqq. sed neminem quaerit quid sentiat. Unus secum volutat et solus poenas sceleribus hominum constituit.

Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras
sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
conciperet flammas, longusque ardesceret axis.

Deinde talem poenam etiam immortalibus nocere posse reminiscens.

Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.
Poena placet diversa, genus mortale sub undis
perdere et ex omni nimbos demittere caelo.

Dei illud assentiuntur et quo consilio capto venti statim auxilio accurrunt. Ipsa Iris, Junonis nuntia, concipit aquas nubibusque alimenta affert. Neptunus maris deos convocat unaque cum iis omnipotenti propere subvenit. Deinde cum Juppiter Met. I. 327 sqq. ventos et nubes dispelleret et aquae recederent, Neptunus sine ullis Jovis verbis numen intellegit et posito tricuspide telo aquas pelagi rector mulcet et receptus canit.

Flumina subsidunt, collesque exire videntur:
Jam mare litus habet, plenos capit alveus amnes:
Surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis.

Nihilo magis dii quid sentiant quaeruntur Met. IX. 243 sqq cum Juppiter Herculem in deorum numerum refert Junone imprudente et nolente.

Juppiter etiam deorum iudex est; ad eum caelestes veniunt

ut cum eo querantur. Jurgia eorum et dissensiones componit. Met. V. 510 sqq. Ceres cum eo conqueritur filiam a Plutone raptam. Cuius decreto Met. V. 564—71 Proserpina sex menses cum matre, totidem cum coniuge sit Ceres tacens obtemperat. Laeta deae frons est; non ignorat Jovis numen omnipotens eiusque auctoritatem sine provocatione esse. Idem F. IV. 587. sqq.

§ 18 § 18. Deos autem immortales inferiores Jovisque imperio subiectos esse intellegi potest etiam ex eo, quod omnes fere dei partim fratres et sorores, partim eius liberi sint.

Jovis liberi sunt: Mercurius ex Maria Met. II. 743—4; Met. II. 685 F. V. 86—8. Bacchus ex Semele Met. III. 260 sqq. Ex Junone Hebe Met. IX. 400 et Vulcanus Met. IV. 173. Minerva F. III. 841 de capitis paterni vertice cum clipeo suo prosiluisse fertur. Idem F. V. 231 sqq. et vide Met. VI. 51 et Met. IV. 799. Perseus ex Danae Met. IV. 160. Proserpina ex Cerere Met. V. 514 et F. IV. 587. Ex Cerere etiam Plutus Ibis 417. Hercules ex Alcmene Met. XV. 12 et Met. IX. 229. Venus Met. XIV. 595 et Met. XV. 808. H. VII. 60: unda Cytheriacis edita fertur aquis et F. IV. 62 et 93 e mare nata esse dicitur. Mars Met. XIV. 808 Jovem genitorem alloquitur cum F. V. 245 sqq. Mars sine coniuge ex Junonis utero nympha Chlori iuvante oriatur. Apollo et Diana ex Latona Met. I. 517 et Met. VI. 206 sqq. Musae Met. V. 255 Apollinis sorores appellantur.

Nepotes Jovis sunt Aesculapius, Apollinis filius Met. XV. 638. Cupido, Veneris filius Met. V. 372 Lares, Mercurii filii ex nympha Lara F. II. 615.

Titan Hyperion pater est Solis Met. IV. 192 et Aurorae Met. XV. 191 qui iam ea de causa non solum Jovi sed etiam aliis magnis deis subiecti sunt. Circe Solis filia est Met. XIV. 33.

Restant sorores Juno et Ceres, Jovis coniugis, Met. V. 565 et fratres Pluto Met. V. 528 et Neptunus Met. VII. 367. Hic sane quaerat quispiam, cur quidem Juppiter trium summum sit? Cur non Pluto, cur non Neptunus?

In Hesiodi Theogonia scriptum legimus 881 sqq:

Αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν,
Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι,
δή ῥα τότ' ὤτρυνον βασιλευέμεν ἠδὲ ἀνάσσειν.
Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν'
ἀθανάτων.

In Ovidii autem operibus quae exstant nullo loco invenitur Gaiae consilio immortales Jovem in Olympo regnare et sibimet ipsis imperare iussisse. Altera sententia de Jovis imperio reperitur in Homeri Iliade XV. 189:

τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς·
ἤ τοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ
παλλομένων, Ἀίδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα,
Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν·
γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς Ὄλυμπος.

In eadem sententia etiam Naso est. Tellus de Neptuno Met. II. 285: cur illi tradita sorte aequora decrescunt? Juppiter de Plutone Met. V. 529: nec cedit nisi sorte mihi. Venus de eodem Met. V. 368: cui triplicis cessit fortuna novissima regni. Juppiter de se ipso

F. IV. 599: non ego nobilior posita est mihi regia caelo.
Possidet alter aquas. alter inane Chaos.

Quibus ex locis intellegitur

1° deos de imperio sortitos et Neptuno aequora, Plutoni tartarum, Jovi reliquum traditum esse.

2° ex Met. V. 529 Jovi et Neptunum et Plutonem cedere. i. e. eius imperio subiectos esse.

Juppiter rex omnium hominumque deumque factus uxorem

suam fecit Junonem et ex ea aliisque immortalibus et mortalibus ceteros deos deasque procreavit.

NB. Divina Jovis natura seiungenda est ab humana, ab omnibus vitiis erroribusque hominum, quibus antiqui summum deorum ornabant. Huc pertinent sescentae fabulae, ubi Juppiter puellas ludit, ubi inopinatus et improvisus a coniuge sua deprehenditur; huc etiam refert F. II. 588—610 quo Laram eum prodituram ignorat.

C. Fatum.

Ad significandam fati vim diversa usurpantur vocabula.

§ 19 § 19. Sors [sero. sertum] a verbo sortiendi eam significationem naturalem et principalem retinet.

Met. XIV. 251: sorte sumus lecti, sors me fidumque Politen
Eurylochumque simul . . . . misit.

Eodem sensu Met. V. 318; VIII. 170—1 XIII. 88; 242; 277; 485 A. A. I. 581.

b) oracula, dicta, iussa deorum significans.

Met. I. 381; mota dea est, sortem dedit.

Idem Met. IV. 642 [bis] X. 567 XI. 412 XIII. 184 XV. 436; 632; 647; F. II. 713 F. III. 804 F. IV. 197 H. XIII. 93.

Etiam F. III. 855 pro quo 860 iussa scribitur.

Sors et oracula saepius una inveniuntur.

Met. I. 389: verba datae sortis secum inter seque volutant

cum Met. I. 392 de iisdem rebus dicatur:

. . . . nullum fas oracula suadent.

Idem Met. I. 321: .... Themis quae tunc oracla tenebat.

Met. I. 368: .... auxilium per sacras quaerere sortes.

c) idem valet atque genus. Met VI. 679: Erechtheus
quattuor ille quidem iuvenes totidemque
crearat femineae sortis.

Met. IX. 67 Ligdus gravidae coniugis aures his monuit
verbis:
.... onerosior altera sors est,
et vires fortuna negat.

Etiam Met. III. 329 Tiresias:
.... est vestrae in tanta potentia plagae,
dixit, ut auctoris sortem in contraria mutet;
nunc quoque vos feriam.

Similiter F. VI. 30: .... Saturni sors ego prima fui
= nata.

d) significat fato praestitutum mirumque in modum plerumque de diis usurpatur.

Met. II. 291: .... cur illi tradita sorte
aequora decrescunt? Tellus de Neptuno
dicit.

Met. V. 529 Juppiter de Neptuno:
nec cedit nisi sorte mihi.

Met. II. 386 Sol de se ipso:
sors mea principis fuit inrequieta.

Met. V. 272 una de musis:
gratam sortem .... habemus.

Deinde etiam de hominibus dicitur. Met. II. 56 Sol de Phaetonte: sors tua mortalis, non est mortale, quod optas.

Met. III. 551 Pentheus:
.... sors querenda non celanda foret.

Simili modo H. XVII. 113 Helena de se ipsa:
sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri.

Excepti sunt Tristium et Fastorum libri, litterae ex Ponto Amorumque libri, in quibus Naso hoc vocabulum adhibet ad significandam suam sortem, suum fatum, quod Fortuna, di sive numina ei tribuerunt. F. III. 379; 463; 477 F. IV. 520 A. I. El. VI. 46 T. I. El. V. 62 T. II. 552 T. III. El. V. 32; El. XII. 67; El. XV. 52 T. V. El. IV. 4 [bis]; El. XII. 6 P. IV. Ep. XIV. 47 T. V. El. III. 28 [ferrea sors] F. II. 429 [dura sors.] T. I. El. V. 2 et forsitan T. II. 32 pro malis, casibus adversis legitur. T. III. El. III. 29. et P. II. Ep. III. 44 pro quo aliis locis fatum scribitur.

Huc refert etiam verbum sortiendi.

Met. IX. 493: at mihi quae male sum, quos tu, sortita parentes
nil nisi frater eris. et

T. I. El. VI. 21: Tu si Maeonium vatem sortita fuisses.

Restant F. II. 338: et prima felix sorte futurus erat = primo conato, initio.

Met. XIV. 489: .... sors autem ubi pessima rerum
sub pedibus timor est, securaque
summa malorum = casus. exitus.

T. IV. El. V. 1: o mihi dilectos inter sors prima sodales = primus locus. princeps.

Eodem senso F. IV. 25:

.... fero Marti primam dedit ordine sortem.

Neque praetereundi sunt loci, quibus omen pro sorte legitur.

F. III. 395: arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
condita cum fuerint, aptius omen erit;
et forsitan.

F. IV. 353: cur vicibus factis ineant convivia quaero.
quod bene mutavit sedem Berecynthia dixit.
captant mutatis sedibus omen idem.

§ 20 § 20. Cum sors sortitum, fato praestitutum, quod nullo

modo vitari potest, designat, fors caecum casum, qui obscure et temere, sine consilio, nullo ordine agit, declarat.

Met. I. 452: .... quem [amorem] non fors ignara dedit.

297: si fors tulit, quod iterum legimus Met. XI. 751.

Met. XIV. 425: qua fors ducebat.

Met. X. 619: si me fors illi dura negarit.

A. I. El. VIII. 21: fors me sermoni testem dedit.

Met. II. 257: fors eadem Junarios Hebrum cum Strymone siccat. quo loco fors dicitur, quod nequaquam Phaetontis sors erat tali modo pereundi, sed olim sermonem cum Epapho habens eius verbis in fata sua pellitur forte, caeco casu. Qua de causa etiam omnia, quae Phaetontis morte effecta sunt eamque sequebantur, forte accidit. Fors eadem Hebrum siccaverat.

Similiter F. IV. 507: fors sua cuique loco est.

A. A. I. 608 fors pro dea Fortuna scribitur:

.... audacem Forsque Venusque iuvant.

Ablativus singularis forte adverbii loco saepissime legitur: Met. I. 254; 493; II. 692; 711; III. 318; 597 IV. 315; 556 V. 448; 469 VI. 343 VII. 622; 694 VIII. 713 IX. 257; 538; 678 X. 220; 710 XI. 31; 162; 303 XII. 235; 511 XIII. 331; 823 XIV. 748 A. I. El. III. 6; 22 A. II. El. VIII. 17 A. A. I. 65; 149; 289; 697 II. 131; III. 347; 548 R. A. 465; 493; 519; 663 H. III. 19 IV. 61; XII. 80; 83; 183 XX. 205; XXI. 237 F. II. 247; 390; 595 III. 87; 508; 863; IV. 601 V. 499 VI. 339; 395; 689 P. II. Ep. V. 33; Ep. IX. 60 P. III. Ep. I. 112; Ep. II. 41 Ep. VI. 33 Ep. IX. 54 T. I. El. I. 18 T. III. El. I. 3; El. III. 55; El. VII. 2 T. V. El IV. 17 H. Fr. 18.

§ 21 § 21. casus a verbo cadendi veram atque propriam verbi significationem habet T. V. El. I. 19:

ut cecidi, subiti perago praeconia casus.

Met. V. 118: . . . . casuque fuit miserabile carmen.

Similiter P. IV. Ep. III. 36.

Huc etiam referendum est, nisi me fallor T. V. El. XII. 16:

Ille senex dictus sapiens ab Apolline, nullum
scribere in hoc casu sustinuisset opus.

pro quo forsitan et sors scribi potuerit; utrum hoc an illud melius sit dubito.

b) idem valet quod fors.

Met. XIV. 192 Polyphemus exclamat:

. . . . o si quis referat mihi casus Ulixen.

Met. IV. 142 Thisbe lamentatur:

. . . . quis te mihi casus ademit?

Idem Met. VIII. 411; XIII. 933 A. A. II. 14 III. 155; 425 R. A. 673 T. I. El. II. 109 T. II. 108.

Qua de causa saepissime casu pro adverbio forte invenitur. Met. VI. 359 VII. 84 XII. 324 F. V. 389 H. XXI. 49 T. III. El. I. 17 El. II. 1 El. VII. 27 El. IX. 22 T. V. El. XII. 65 A. II. El. V. 42.

c) pro sorte

Met. XIII. 577 casu Troiae Hecubaeque Aurora non movetur, idem Troiae casus A. A. II. 127 legitur.

Met. VIII. 714: locique casus incipere loqui.

Eodem sensu F. III. 571 T. I. El. IX. 39 T. IV. El. I. 100 T. V. El. XIV. 7 A. A. II. 187 P. I. Ep. III. 62 P. II. Ep. VI. 23 P. III. Ep. II. 92.

d) pro calamitatibus, malis usurpatur i. e. pro erroribus laboribusque atque periculis, quae hominibus deorum numine perferenda sunt; itaque saepissime pro rebus adversis legitur.

Met. XIV. 221: tu quoque pande tuos, comitum gratissime, casus et ducis et turbae.

473: referens tristes ex ordine casus.

Idem T. I. El. V. 43; 45 T. III. El. V. 14; El. VIII. 22; El. XII. 1 T. IV. El. III. 37; El. VIII. 51 El. X. 107 T. V. El. II. 29; El. III. 43; El. IV. 15; El. IX. 15 P. II. Ep. III. 82; Ep. VII. 24; Ep. X. 20 A. I. El. XII. 1.

In eo infitiandum non est complures locos sub d) locis sub c) ascribi posse in eaque re unusquisque suam opinionem atque voluntatem sequatur. Equidem a via aberrare non videor, si singularem vocabuli casus in numerum locorum sub c), pluralem sub d) refero, exceptis P. II. Ep. III. 82, qui locus, quanquam in singulari legitur, tamen a me locis sub d) ascriptus est [= periculum] et P. III. Ep. II. 92. F. III. 571 atque A. A. II. 187 quod quanquam in numero plurali inveniuntur, tamen idem valent atque sors.

Restant Met. XI. 588 quo Juno Irim in Somni aulam ire iubet, ut Somnia ad Alcyonem mittat, quae veros narrent casus i. e. mala ut 573 scriptum legimus. Similiter Met. I. 648:

. . . . [Io] nomen suum casusque loquatur.

Met. XV. 559 legimus: casus aperire futuros pro quo 557 ora venturis aperire fatis scribitur. Adde Ibis 269: casus futuros Telemus vaticinatus erat.

His omnibus locis adde T. I. El. X. 11: per tot eventus,

Met. VIII. 60: qui si manet exitus urbem

Met. VII. 353: . . . eventu veteris loca nota Cerambi.

quibus eventus et exitus pro casibus legitur.

§ 22. Fortuna eius stirpis atque fors. § 22

Met. VII. 683: consequitur quodcunque petit, fortunaque missum non regit.

Pro Met. VI. 195: maior sum quam cui possit fortuna nocere, et

pro Met. II. 140: fortunae cetera mando

etiam dea Fortuna legi potest.

b) pro sorte

Met. V. 368: cui triplices cessit fortuna novissima regni

pro quo Met. V. 529 et II. 295 sors scripta est.

Met. XIII. 525: non haec est fortuna domus.

Idem Met. VII. 518; 757 XV. 493 A. A. II. 559 F. VI. 355. H. III. 43 [tristis] H. IX. 126 H. XV. 59 [gravis] P. I. Ep. V. 21; 68; Ep. VI. 13; Ep. VII. 62 P. II. Ep. I. 6 [?] Ep. II. 31 [miserrima] Ep. III. 51 Ep. VI. 23 Ep. IX. 7 P. III. Ep. I. 49; 104; 152 Ep. VI. 49 Ep. VII. 32 Ep. IX. 30 [?] P. IV. Ep. IV. 5 [gravis]; 10; Ep. VI. 7; 39 [iniqua] Ep. IX. 121 T. I. El. I. 10; 120 El. V. 16 El. IX. 37 T. II. 93; 107; 138; T. III. El. I. 5; 73 El. IV. 26 El. VIII. 21 El. IX. 36; El. XII. 37; 71 T. IV. El. I. 61 El. III. 81 [?] T. V. El. I. 3; 29; 36 El. V. 47 El. VI. 33 El. VII. 4 El. XI. 3 El. XI. 30 El. XII. 5 El. XIV. 3 J. 417.

Met. XV. 261: si totiens versa est fortuna locorum.

Idem Met. X. 335 et IV. 566 pro quibus Met. VIII. 714 casus legitur.

Met. XIII. 573: illius fortuna deos quoque moverat omnes, pro quo 575 eventus et 577 casus invenitur.

c) pro casu, eventu

Met. VIII. 12: belli fortuna, idem Met. XIII. 90; huius fortunam pugnae.

d) pro dea Fortuna, quam Ovidius definit

P. IV. El. III. 31: Haec dea non stabili quam sit levis orbe fatetur
quem summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, quavis incertior aura.

P. IV. El. III. 31: Par illi levitas, improbe, sola tua est.
T. V. El. VIII. 7: Nec metuis dubio Fortunae stantis in orbe
numen et exosae verba superba deae?
15: Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo laeta manet, vultus modo sumit acerbos;
et tantum constans in levitate sua est.

deam Fortunam significat:

F. IV. 145: Discite nunc, quare Fortunae tura virili detis.

Idem Met. II. 140 [?] III. 141 V. 140 VI. 195 [?] VIII. 73 X. 603 [?] XIII. 334 [?] F. I. 209 [?] IV. 149 [virilis] 376 [publica] F. V. 729 [publica] F. VI. 569; 617; 773 [fors] H. XII. 73 XVII. 113 P. I. Ep. IX. 16 P. II. Ep. III. 23 [?] Ep. VII. 15; 20; 41 P. III. Ep. I. 125 P. IV. Ep. III. 7; 29 Ep. VIII. 16 T. I. El. I. 51; El. V. 27; 34 [?] El. IX. 13 [?] T. II. 85 T. III. El. V. 31 El. VIII. 41. T. IV. El. X. 8 T. V. El. VIII. 7; 15 A. A. II. 256 [?]. Met. IX. 677: vires Fortuna negat, quo Heinsius tenet: Natura.

e) idem valet atque res secundae.

P. II. Ep. III. 10: et cum fortuna statque caditque fides. Idem Met. III. 149 X. 585; 603 [?] XIII. 334 [?] A. II. El. XIX. 7. F. I. 209 [?] P. II. Ep. III. 23 [?] P. III. Ep. II. 8 P. IV. Ep. IX. 90 T. I. El. V. 34 [?] El. IX. 13 [?] T. IV. El. V. 25 T. V. El. XIV. 29 A. A. II. 256 A. III. El. VII. 49 pro quo A. A. II. 438 commoda legitur. Huc fortasse refert J. 423:

Sic tua nescio quo semper fortuna liquescat.

f) pro rebus adversis

T. IV. El. V. 2: o mihi dilectos inter sors prima sodales
unica fortunis ara reperta meis.

Idem P. II. Ep. I. 6 [?] P. III. Ep. IX. 30 [?] T. IV. El. III. 81 [?] T. V. El. VI. 33 [?] F. I. 479.

Restant Met. X. 400: . . . . certe fortuna domusque
sospes et in cursu est. = divitiae opes.

Met. XIII. 435: ut cecidit fortuna Phrygum = potentia opes.

P. II. Ep. IX. 13: fortunam decet hoc istam = gradus, dignitas ordo. Et fortasse etiam P. III. Ep. IV. 110.

T. V. El. II. 57: nec mea concessa est aliis fortuna = bona possessiones.

§ 23 § 23. numen in principalis significatione e verbo nuendi deductus reperitur

Met. I. 411: Inque brevi spatio superorum numine saxa
missa viri manibus faciem traxere virorum.

Idem Met. X. 430 F. VI. 102 A. A. I. 203 quo date numen idem est atque adnuite.

b) pro potestate, auctoritate.

Met. I. 545: fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis. Eodem sensu Met. VI. 315 A. II. El. VIII. 18; El. XVIII. 17 A. III. El. III. 43 F. III. 314 F. V. 262 T. V. El. III. 16; 46 El. VIII. 8. H. XXI. 150. Superorum n. legitur Met. I. 411 T. I. Ep. I. 43. divum sive deorum n.: Met. VI. 542 XI. 134 F. III. 705 P. IV. Ep. XIII. 24. H. XVI. 128. numina mortis Met. II. 653. Hucne refert? F. I. 171: . . . . cur quamvis aliorum
numina placem,
Jane, tibi primo tura merumque fero?

Sin autem aliorum numina = alia numina, hic locus locis sub c) ascribendus est.

c) idem significat atque deus.

Met. XIII. 461: aut per tale sacrum numen placabitis ullum?

Idem Met. IX. 281; 316 X. 278 XI. 263 XV. 28; 693 A. A. I. 321; 640 A. III. El. III. 4; El. XI. 47 El. XIII. 8 F. I. 90; 248; 267; 334; 536 F. II. 842 F. III. 292; 297; 421; 426 F. V. 146; 574; 674; F. VI. 4; 92; 260; 460; 524; 537 P. I. Ep. II. 75; 107 Ep. IV. 40 Ep. VI. 29 Ep. IX. 49 P. II. Ep. I. 16 Ep. II; 14; 28; 43; 111; Ep. VIII. 10; 38; 51; 67 Ep. IX. 24 P. IV. Ep. VIII. 23; 30 Ep. XIII. 26 Ep. XV. 24 T. I. El. I. 74 El. II. 12 El. III. 31 El. X. 46 T. II. 14; 53; 108; 141 T. V. El. II. 45 H. II. 24; III. 53; 105: Briseis iurat: perque trium fortes animos, mea numina fratrum. H. VII. 87 XIII. 159 XV. 108 XVI. 18; 319 XX. 212; 215 J. 283; 433. M. Fr. 83 Montana n. legimus: Met. VI. 331 F. II. 307 H. IV. 171. N. montis: Met. I. 320. Silvestria n.: F. II. 279: F. III. 303 Fontana n. F. IV. 760. Rustica n.: F. VI. 323. N. ponti: Met. V. 369; 370 T. I. El. IV. 25. N. pelagi: F. VI. 543. N. Stygiae aquae F. V. 250. N. aquarum [Thetis]: A. II. El. XIV. 13. N. equarum: F. II. 277. Caeleste n.: Met. I. 368 F. VI. 23; 251; P. II. Ep. VIII. 15 P. III. Ep. VI. 21. P. IV. Ep. VIII. 90 H. XX. 181. Ira numinis: Met. II. 659 VI. 313 X. 239 P. I. Ep. V. 44 P. II. Ep. I. 47 P. IV. Ep. IX. 52 F. I. 483. T. I. El. V. 44 T. III. El. VII. 23. T. IV. El. VIII. 50 T. V. El. IV. 17. N. supernum: Met. XV. 128. N. Augustum: P. III. Ep. I. 163 P. IV. Ep. VI. 10 T. III. El. IX. 13. N. Caesareum: T. V. El. III. 46 El. XI. 20 N. Palladium T. I. X. 12 N. Herculeum: Met. XV. 47.

Restant H. XX. 100: cum sua, quod nolim, numina laesa videt, pro dignitate.

Met. V. 17: grave Nereidum numen, pro gravi ira.

T. II. 223: lusibus ut possis advertere numen ineptis, pro animo, mente, luminibus.

F. VI. 241: Mens quoque numen habet, pro veneratione, cultu.

Eodem sensu: A. III. El. IX. 18 F. II. 642 P. II. Ep. VIII. 6.

P. IV. Ep. IX. 133: Auguror his igitur flecti tua numina, de Augusto dicitur pro mente, animo; corde.

Ad. c) fortasse pertinent T. V. El. X. 52: numine Caesaris offenso et similiter T. I. El. II. 8 F. IV. 865 F. V. 684 P. I. Ep. I. 51; 56 Ep. X. 42 P. II. Ep. III. 19. Quo autem referant, sub b) an sub c) in dubium relinquo:

Met. X. 690 Venus dicit: cupido a numine nostro concita.

Eodem modo Met. XIV. 589 A. III. El. III. 12 F. IV. 252 F. V. 328 H. XII. 78 T. I. El. II. 88. Una autem uno versu inclusi leguntur numen et deus: Met. I. 377. A. III. El. III. 43 F. I. 90; 248 P. II. Ep. VIII. 8 P. IV. Ep. IX. 108 P. I. El. II. 12 P. III. El. VI. 26 H. II. 43; V. 5; XII. 119 XXI. 239; Juppiter et numen: T. IV. El. IV. 17 Caelestes et numina: P. I. Ep. I. 56.

Non sine delectatione sunt F. II. 506, quo Romulus Julio Proculo:

.... prohibe lugere Quirites
nec violent lacrimis numina nostra suis.

Quo loco pluralis numina de uno viro dicitur, cum singularem compluria teneant animalia F. II. 842:

perque tuos manes, qui mihi numen erunt.

In nostro opusculo: De Jone et fato in P. Vergili Maronis Aeneide p. 9. scriptum legimus: Dei, superi ad personas pertinent, ad divinitates — numina. Divinitas ut res sensibus non subiecta motionis quidem compos non est, sed tamen actionis sola mente percipiendae ut animi motus, perturbationis, quae nimirum dei miscere, cieri, agitare possunt. Ea autem diversitas atque differentia, in Nasonis operibus neque sustentari neque conservari potest, ut ex omnibus locis, quibus deus una cum numinibus legitur, intellegendum est. Ovidius partim discrimen servat inter deum et numen, partim pro concreto dei abstractum numinis nulla intercredente discrepantia adhibet.

§ 24. fatum legitur § 24

a) pro vita

Met. VII. 346: . . . . quid vos in fata parentis arcuat?

Eodem sensu: Met. VIII. 391; 412; IX. 160 A. I. El. VI. 14 A. II. El. XIV. 4 P. I. Ep. IX. 22 H. I. 104: extremum fati diem sustinere.

Huc forsitan pertinent Met. XI. 759:

qui nisi sensisset prima nova fata iuventa.

T. V. El. V. 62: aequarint Pylios cum tua fata dies.

T. IV. El. X. 77: sua fata complere pro numero dierum vitae suae [vita].

b) pro morte.

Met. VI. 642: . . . . satis illi ad fata vel unum vulnus erat.

Idem Met. II. 617 V. 65 VI. 570; 606; 639: venientia fata X. 31; XII. 38 XIII. 180; 478 A. A. III. 19; 672 H. XIX. 106; 118 A. I. El. XV. 39. Fortasse etiam F. V. 472 et Met. VI. 373. H. VII. 1: fata vocant.

c) pro interitu, casu

Met. XIII. 53: . . . . volucresque petendo
debita Troiana exercet spicula fatis.

Etiam Met. XIII. 336 379; H. I. 28.

d. Reliquis locis idem valet atque casus, sors, fortuna. Met. I. 256; 358 II. 156; 189; 306 [gravis]; 648; 655; 657; III. 176; 548 IV. 249; 569 V. 297; 534; VI. 5; 51; 90 [miserabile] VII. 388; 692; 816; 828 [iniquum] VIII. 241; 442; 698; 786 IX. 327 [mira]; 336; 359 [crudele] X. 38; 163 [tristia]; 635 [importuna]; 724 XI. 408; 452; 558; 742 XIII. 130 [non aequa]; 260 [immitia]; 339; 623; 885 XIV. 153; 213; 381; 844 XV. 557; 584; 807 [insuperabile]; 814 A. II. El. IX. 42 A. III. El. IX. 2 [tristia]; 35 [mala] El. XII. 3 A. A. II. 27 [iniqua]; 130 [cruenta] F. I. 381; 481; F. III. 610; 614 [prosperius]; 798 F. IV. 73; 206; 253 F. V. 34; 472; F. VI. 748 H. I. 101; IV. 53 V. 33 VI. 28; 36 [diurna]; 51 [mala] VII. 96; 135; 185 VIII. 65 XII. 35 XIII. 93 [iniqua] XVI. 41; 89; 251 XVI. 279 XXI. 232 T. I. El. II. 53 El. III. 20 T. II. 148: cum mea fata respicio = quod exhausi, perfunctus sum [sortes, pericula, labores] 341; T. III. El. II. 1; 29 [cessantia] El. III. 38 [tristia] El. IV. 34 [candidius]; 37 El. VII. 15; 18 El. VIII. 13 El. XII. 66 T. IV. El. I. 62 El. VIII. 31; 106 [par] El. X. 52 [avara] T. V. El. I. 38. El. II. 30. El. V. 8 El. VI. 23 [iniqua] El. XIII. 24; 34 P. I. Ep. II. 28; 63; 94 Ep. VI. 54 Ep. VII. 56 P. II. Ep. II. 33 [bis] Ep. VII. 17; 34 Ep. VIII. 59 P. III. Ep. V. 27; 57 Ep. VI. 14 [aspera] P. IV. Ep. VI. 3 [miserabilia] Ep. IX. 9 [meliora]; 36 [mitia] Ep. X. 11 [sollicitum] J. 246; 289; 444.

Restant R. A. 566: uxorem fato credat obesse suo, pro fortuna

T. V. El. III. 5 dum me mea fata sinebant, pro fortuna

T. V. El. VIII. 10: imposito calcas quid mea fata pede? pro rebus adversis.

Met. XIII. 373: . . . . obstantia fata removi, pro impedimentis, difficultatibus.

F. III. 546: arserat extructis in sua fata rogis, pro corpore [morte].

F. V. 389: stare simul casu Troiae duo fata videres. Abstractum pro concreto, fata pro heroibus Hercule et Achille, qui quando Troiae fata pararent.

Praeterea adnotatione digni sunt loci ut Met. VII. 353:

. . . . eventu veteris loca nota Cerambi

quo pro fato eventus legitur [vide etiam casus] et

Met. XIV. 729: . . . . mortalia facta videtis.

pro fatis. Heinsius Elzeviriana re vera tenet fata. Etiam Met. XIV. 697 mea quidem sententia facta pro fatis legitur et melius esset et hoc et illo loco fata pro factis scribere.

Met. XV. 63: . . . . et quae natura negabat viribus humanis, quo natura pro fatis invenitur.

§ 25. Ex fato derivata cum eoque composita sunt adiectiva: § 25

a) fatalis.

Met. III. 316 [fatali lege, idem Met. X. 203] V. 182 [iaculum] VIII. 479 [lignum] IX. 411 [aurum] XIII. 381 [signum f. Minervae] XV. 602 [f. morte tyranni] XV. 554 [glebam] XV. 54 [f. fluminis ora] F. IV. 257 [verba] F. VI. 445 [pignora] H. IV. 63 [hoc quoque f. est.] IX. 156 [igne] T. V. El. I. 59 [in f. malum] El. XII. 51 [studium] P. I. Ep. VIII. 64 [f. deae = Parcae].

Adverbium fataliter semel reperitur: Met. XII. 67.

b) fatiferus = fatum ferens.

A. III. El. III. 27 fatifero ense.

Pro fatali sive fatifero scriptum legimus: Met. XIII. 392 letalem ensem. IX. 213: feralia dona XII. 606: letifera spicula Met. IX. 166: letiferam vestem H. IX. 141: letifero Eveno F. I. 123; letifero sanguine T. III. El. III. 81: feralia numera.

c) faticanus = fatum canens.

Met. IX. 418: . . . . faticano venturi praescia dixit
ore Themis.

d) faticinus idem atque faticanus.

Met. XV. 436: faticanae sortes.

e) fatidicus = fatum dicens

Met. III. 348 Tiresias vates. Met. I. 321: Themis F. II. 262: Apollo F. V. 626: utrum Apollo an Juppiter petatur in dubio est.

§ 26 § 26. fas eiusdem stirpis atque fatum et sensum fati et vim perhibet.

H. XIII. 71: si cadere Argolico fas est sub milite Troum

H. V. 40: . . . . constitit esse nefas.

Omnibus autem reliquis locis fas idem atque ius valet.

NB. Notatione dignissimi sunt etiam loci quibus duae fati significationes una inveniuntur in eodemque versu vel enuntiato leguntur.

Met. XV. 494: . . . . neque enim fortuna querenda
sola tua est. similes aliorum respice casus.

Id est: fortuna tua, sors tibi a deis destituta querenda non est, respice etiam casus, calamitates malaque, quae immortales aliis mittunt.

A. II. El. XII. 15: nec casum fortuna meis inmiscuit actis.

Fortuna, levis atque volubilis dea non fortem, non caecum casum inmiscuit actis. Eodem sensu T. V. El. XII. 5.

Met. VIII. 411 etiam iaculum, quod Jason mittit in aprum vertit fors et canem pro apro percutit, qui talem exitum, interitum non immeruerat.

Met. XIV. 162: . . . . qui te casusve deusve
servat, Achaemenide.

caeco casui, forti opponitur deorum numen, qui mortalium fata summa cum iustitia regunt. Idem H. XIII. 132. F. V. El. III. 13. F. II. 782.

D. Fatum et dei et Juppiter.

§ 27. Stultis hominibus saepe fatum idem atque deus § 27
est. H. XVI. 41: sic placuit fatis. F. I. 480 et P. I. Ep. VII. 56: sic erat in fatis. Met. III. 176: sic illum fata ferebant. Praeterea una legimus Met. I. 366: sic visum superis. Met. IV. 661: sic di statuistis Met. XIII. 597: sic vos voluistis T. IV. El. VIII. 15; sic dis visum est. Saepissime autem et plerumque dei fato superstant et homines deos fato potiores habent. Quod cognosci ex locis potest, quibus mortales a superis aliquod petunt. Nunquam fatum invocant, sed semper superos, deos sive numina. Met. X. 13: hoc petit a superis A. I. El. VIII. 114: di tibi dent Met. IX. 281: faveant tibi numina Met. VII. 511: gratia dis Met. VI. 472: pro superi Met. XIII. 558: per superos iuro et multis aliis locis.
Fatum mortalibus nascentibus a Parcis destituitur, Met. VIII. 450:

Stipes erat, quem, cum partus enixa iaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes, dilerunt.

neque ullis rebus, nulla vi derogari aut abrogari potest.

Atqui mortales fatum suum proferre, producere possunt et maturare.

Met. X. 30: Per Chaos hoc ingens vastique silentia regni
Eurydices, oro, properata retexite fata.

Qua re confundendum non est Met. XV. 581 sqq. Tyrrhenae gentis haruspex cum Cipi cornua aspexerat, rex, ait, eris, rumpe moras, portas patentes intra. Sic fata iubent. Cui Cipus respondit:

Talia dipellant. multoque ego iustius aevum
exul agam, quam me videant Capitolia regem.

Quibus dictis privatus usque ad mortem extra urbis moenia vitam agit. Quo loco Cipus fata flectit, quod fati condiciones: in urbem introire non implet, eadem de causa fati sortes effici non possunt.

Met. X. 163 legitur Hyacinthum ab Apolline, si ei tristia fata spatium dedissent, in aethera positum iri et ex Met. X. 724, quo loco Venus cum fato queritur, intellegitur mortem quidem Adoni destitutam esse, quae autem postea futura sint penes Venerem esse.

§ 28 § 28. Ex § 8. deos deasque et vates venturi praescios esse efficitur. Hic dicat quispiam futurum non eandem rem quam fatum significare Illud parvi refert neque refutare difficile est. Sunt enim non pauci loci, quibus di et vates fata canunt ut H. XXI. 232 Met. II. 639 F. VI. 535 J. 246 Met. XV. 557. Qua de causa futurum idem atque fatum valere constat.

In § 11 potentiae deorum vatumque modum atque finem imposuimus eorumque divinationem in exiguum angustumque deduximus. Illo loco saepius legimus deos qui in § 8 futura praedixerant, hic venturi nescios esse. Qua ex re intellegi potest deos nihil nisi minimam fati venturique partem praenosse atque praenuntiare et tantum quoad fatum patitur;

saepissime enim scribitur: sed plura dicere fata non sinebant. His adde Met. II. 249, quo Soli qui Leucotheam in vitam revocare volebat fatum obstat. Met. V. 534 Proserpinam a Cerere ex tartaro educi fata vetabant Met. VIII. 786 Cererem et Famem coire fata non sinunt. Praeterea hi loci sunt qui deos fato subiectos esse confirmant atque comprobant:

Met. XV. 799: Non tamen insidias venturaque vincere fata
praemonitusque potuere deum.

Met. XIII. 572 Quanquam omnes dei Hecubae sortem queruntur, tamen nemo eam rem in integrum restituere potuit.

Met. XV. 763 sqq. Venus cunctos, ut cuique erat obvia, deos orat atque obsecrat ut Aeneae fatum retardent et

807 Juppiter ad eius preces respondit
. . . . sola insuperabile fatum
nata movere paras?

Vide etiam omnes locos, quos supra commemoravimus, quibus dei deaeque mortem carissimorum suorum neque retardare neque prohibere possunt. Quibus adde Met. IX. 420 sqq. quo dei queruntur non omnibus fato permissum esse, ut amatis suis iuventutem dare possint.

§ 29. Jovi autem quae ratio atque usus cum fato intercedit? § 29

Met. I. 351 Deucalion uxori suae Pyrrhae:
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
nunc animi, miseranda, foret?

et 366 addit: sic visum superis, quo Deucalion a superis sibi fata destinata esse concedit. Deucalion quidem nescit cui superorum incolumem se et salvum esse debeat sed 250 scriptum nos videmus Jovem deis interrogantibus populum promittere mira origine. Itaque non superis 366, sed uni

Jovi visum est. Deucalion ab interitu servatus erat per Jovem, ergo fatum Deucalionis penes Jovem erat.

Qua autem argumentatione contentus non es adde Met. II. 638—79. Illo loco Ocyrrhoe Chironis filia fatorum arcana canit 639 infanti Aesculapio. Quo facto ab imis pectoribus suspirans addidit 655: restabat aliquid fatis. Praevertunt me fata. Qua in equam versa pater opem poscebat ab Apolline, frustra, quod ipse Apollo magni iussa Jovis rescindere non potest 678. Quo loco aperte atque distincte fata Jovis iussa nominantur, ergo fatorum auctor Juppiter est.

Denique vide Met. II. 299—306 Phaeton patris curru orbem terrarum inflammaverat; cum fontes amnesque exarescerent et flammis silvae cum montibus arderent, alma Tellus collo tenus arida oppressos vultus sustulit et manum fronti opponens Jovi: eripe inquit flammis, si quid adhuc superest et summae rerum consule. Ad quod pater omnipotens superis persuadet omnia fato gravi interitura, nisi opem ferat. Juppiter iuvat opemque fert et fatum prohibet, ergo fati dominus est idque ex eo pendet.

Quod de F. III. 803—7 nullam explicandi difficultatem habet. Sors id est oraculum erat, quod partim dei partim ipse Juppiter dat. Jovi igitur notum ex eiusque sententia datum erat, ergo quem eventum habeat Juppiter non ignorat eique de summo imperii neque timori neque curae erat.

§ 30 § 30. His locis unus obstat Met. IX. 432; sed antequam ad eius loci interpretationem transimus, paucum de Parcis dicendum est. Singularis Parca apud Ovidium legitur T. V. El. III. 14 A. II. El. VII. 46 H. XI. 105; T. V. El. X. 45 invenitur nomen Lachesis et F. VI. 757 Clotho; reliquis autem locis pluralis restat. Tres sunt sorores: Met. XV. 809; VIII. 452; II. 655 F. III. 803, quae impresso pollice fatalia stamina nent: Met. VIII. 453; T. V. El. III. 25; P. I. Ep. VIII. 64; quae

fila vitae dant: T. V. El. X. 45; A. I. El. III. 17; H. XII. 3; eaque resolvunt: Met. II. 655: F. VI. 757 H. XII. 3. Parcae appellantur dominae: T. V. El. III. 17; nubilae: T. V. El. III. 14; fatales deae: P. I Ep. VIII. 64.

Non praetereundi sunt T. III. El. VIII. 13:

Nam tibi cum fatis moras Natura pudicos
et raros dotes ingeniumque dedit,

quo loco natura pro Parcis legitur et

Met. V. 532: . . . . nam sic Parcarum foedere cautum
est; pro quo 534: non ita fata sinunt scribitur.

Met. XV. 810 conclave tenent, in quo molimine vasto rerum tabularia ex aero et solido ferro reponuntur; tabularia, quae tuta atque aeterna neque concursum caeli neque fulminis iram neque ullas ruinas metuunt. 812. Fatum insuperabile est, quod nemo movere potest, nemo etiam ferrea decreta veterum sororum rumpere potest 781.

Fatorum arcana canunt dei deaeque multique mortales; quos autem non omnia scire, sed tantum partes rerum futurarum supra demonstravimus. Deorum unus Juppiter fatorum omnium gnarus est. Sic Met. XV. 806 sqq. Veneri, ne etiamtum ignara futuri sit, fata amatissimi Caesaris refert. Legi ipse, inquit, animoque notavi. Unus Juppiter etiam humani generis sortis praescius est et cum omnes dei deaeque angore et metu confecti eum circumdant, pater deorum trepidantes tranquillat animos eisque promittit genus origine mira Met. II. 250 sqq. Deinde cum homines poena afficere vellet, in fatis esse reminiscitur tempus adfore, quo mare, tellus correptaque regia caeli ardeant; tela Cyclopum manibus fabricata reponit eique genus mortale sub undis perdere placet Met. II. 256 spp.

§ 31. Itaque unus omnium deorum Juppiter futuri § 31
fatorumque omnium praescius est. Quid autem Met. IX. 433

scriptum videmus: me quoque fata regunt? Qui locus mea quidem sententia hoc modo interpretandus est.

Ex Met. I. 351 sqq.; II. 638—79; II. 299—306 constat neque dubitari potest

1° fatum idem atque Jovis iussa sint.

2° fatum Juppiter retinere atque prohibere possit eamque ob rem id in eius potestate sit.

Juppiter a quo errores et hominum vitia non abhorrent [§. 18. NB.] orbem terrarum et Olympum per ambitionem, opinione praeiudicata, qualem punctum temporis et momentum gignit, regere posset, sed ut hominibus deisque regnaret iustitia absoluta ac simplici necessitate, hominum fata, sortes in tubulis inscripsit deisque leges aeneas dedit, quas nihil neque quisquam rumpere potest. Reduco solum in lectoris animum

Met. XIV. 785: . . . . neque enim licet irrita cuiquam
facta dei fecisse deo; et

Met. III. 336, quo Juppiter Tiresiae oculorum lumina reddere posset, sed
. . . . rescindere umquam
dis licet acta deum,

et pro lumine adempto scire futura dedit.

Quarum legum aenearum custodes et conservatores Parcas imponit, quae filiae omnipotentis et Justitiae, integrae omnique largitione resistentis, ex nullo pendebant quibusque nemo ad hoc magis idoneus erat. Juppiter autem ut rector hominumque deumque sit optimus atque perfectissimus, ne animi concitatione, cupiditati, temeritati, quales saepe praesens tempus gignit, se indulgeat, se ipsum iis aeneis legibus subicit, quae ea de re cum a mortalibus tum a caelestibus summum, inflexibile atque insuperabile habentur.

Nunc revertamur ad Met. IX. 432. Hoc loco Jolao

iuventutem datam esse legitur et Themis similem sortem Alcmaeonis filiis, Acarnani et Amphotero praedicit. Quibus dictis murmur oritur inter deos, qui vehementer de fato carissimorum suorum queruntur et suis quoque amatis iuventutem poscunt. Aurora Tithono coniugi, Ceres Jasoni, Vulcanus Erechthonio, Venus Anchisae. His Juppiter: me quoque, inquit, fata regunt, quae si mutare valerem et Aeacus et Rhadamanthus et Minos perpetuum aevi florem haberent. Hic Jovis sapientia non minus quam iustitia et necessitas postulant, ut omnes inter se pares sint neque unus alteri praestet. Uno verbo de suorum filiorum senectute deos Juppiter placat. Rector Olympi iuste caelestibus regnat; ipse omnipotens subiectus est iustitiae: eum fata regunt. Cuius meae sententiae testis est fidemque facit etiam F. VI. 746—762 quo Aesculapius Hyppolito fatis invitis, adversus Parcarum voluntatem vitam reddidit. Cum Pluto et Clotho regni sui iura minora fieri cum Jove quererentur, is in Coronis filium fulmina direxit, exemplum veritus. Paullo post Apollinis precibus nihilominus Aesculapium in deorum numerum recipit. Qua ex re cognosci potest.

1⁰ Jovem iustissimum pati non posse Parcarum decreta a quocunque rescindi [Aesculapium necat].

2⁰ Jovi potestatem esse maximam et cum Plutoni tum Parcis superiorem esse [Ji cum eo queruntur].

3⁰ Jovem unum Parcarum ferrea decreta rescindere posse, deum optimum esse maximum atque amplius Parcas potestate antecedere [Aesculapium in deorum numerum recipit].

Conclusio.

§ 32. § 32. Immortales in diversas transire figuras possunt, quam potestatem etiam sibi carissimis attribuunt. Vertunt homines in animalia, fontes, plantas floresque, in res vita carentes animalia. Mutant singulas humani corporis partes, speciem induunt amantissimis, ut cognosci non possint; commutant hominum sexus, virile vertunt in muliebre, feminam transformant in virum. Tellus monstra diversis formis gignit, in quibus quoque Pythonem. Venus statuam a Pygmalione caelatum in virginem vertit. Quo facilius amatos suos servent eosque a morte eripiant, dei carissimos nubi condunt; ipsi se nebulis velant, ut a mortalium conspectu remoti eis adiutores sint aut ut ipsi furtum sive fallaciam faciant, Mercurio excepto, qui eiusmodi artes repudiat, cum ei virga magica nunquam fallens suppetat. Neptunus mortales in deorum maris numerum refert et Diana in silvae numinum. Praescii sunt venturi et dei et nymphae et homines, qui hanc divinationem ab immortalibus ut benevolentiam et favorem acceperunt. Sed hic iam cognosci potest, quae angusta ac finita deorum potentia sit. Saepissime dei nihil sciunt. Juno superum regina futura ignara est. Apollo, artis deus medicinae, contra mortem inermis est atque imbecillus. Eundem Apollinem, qui de se ipso: per me quod eritque fuitque estque patet, sua oracula fallunt. Nemo nisi Juppiter omnia praenoscit futura. Deorum unus Juppiter futuri fatorumque omnium praescius est. Veneri futuri ignarae fata amatissimi Caesaris refert. Juppiter cum gentem humanam ad internecionem adducere constituisset omnesque caelestes horrore metuque confecti eum circumstent ex eo quaerentes, quid

futurum sit, animos eorum tranquillat trepidantes eisque novum genus promittit. Idem reminiscitur aliquando omnem hunc mundum ardore deflagraturum in fatis scriptum esse, qua de causa Cyclopum tela reponit et mortalium genus flagitiosum et impium undis perdere decernit.

Juppiter genitor est divumque hominumque parens, qui de vasto Olympo et homines et deos regit. Potenti dextra fulmina mittit et Gigantes deorum contemptatores perfrangit. Jovi subiecti sunt numina rustica nymphae, fauni, satyri, monticolaeque Silvani, subiecti sunt ei et dii, qui altum incolunt Olympum et Neptunus, pelagi rex et Pluton, rex tartari. Iudex est Juppiter caelestium, qui ad eum veniunt, ut dissensiones eorum iurgiaque componat. Cum eo dii queruntur seque eius sententiae subiciunt libenter et modestissime. Contione convocata rex superum neminem quaerit, quid sentiat; unus secum volutat et ipse poenas hominum sceleribus constituit.

In vasto Olympo tecta sunt Magni Tonantis. Iter sublime, caelo sereno manifestum et notabile ipso candore ad regalem domum ducit. Dextra et laeva deorum nobilium atria sunt, qui in marmoreum recessum conveniunt ad concilium. De altiore ac celsiore loco et enixus sceptro eburneo summus deorum rector salutat suos, caesariem concutit terrificam terque quaterque: moventur et terra et mare et sidera. Annuit uni e suis et nutu conquassatur uterque polus caelique pondera sensit Atlas. Dextra sua triculcis ignibus armata arces temperat aetherias et triformis mundi regna. Tonitru et fulgure terret orbem nubibusque caecis aera occulit. De summa Olympi arce terribili dextra fera iactat fulmina. Parens atque rector hominum patria caritate mortalium saluti consulit. Nefariis terrigenarum facinoribus ingemit et cum Phaethon in patris curru terras et montes

incendisset, fulmen mittit inevitabile in temerarium aurigam eumque de rotis deicit. Post Phaethontis fatum humana sub imagine terras hominumque labores perspicit. Quod corruptum reficit, fontes et flumina restituit, dat gramina terrae, arboribus frondes laesasque silvas revirescere iubet.

Dei fato subiecti sunt. Apollo magni iussa Jovis, fata Chironis filiae Ocyrrhoes rescindere non potest. Soli, qui Leucotheam in vitam revocare vult, fatum obstat. Proserpinam Ceres ex tartaro educere non potest; Cererem et Famen coire fata non sinunt. Nequiquam Venus cunctos deos orat atque obsecrat, ut Aeneae fatum retardent: nemo fata ventura vincere potest. Juppiter unus est ad quem omnes confugiunt. Cum Phaethontis currus orbem terrarum inflammasset, cum aestus fervidus fontes, amnes exsiccasset silvasque exussisset, Tellus horroris plena a Jove petit, ut mundum ab interitu servet. Qui opem fert, Phaethontem de curru deicit et fatum prohibet.

Juppiter dat hominibus et deis leges in tabulis aeneis inscriptas earumque custodes Parcas imposuit. Quae decreta insuperabilia sunt quaeque continent nemini uni ex omnibus mortalibus et deis nota sunt. Juppiter qui has leges dedit, earum tutor est acerrimus. Ferrea sunt genti mortali et caelestibus decreta Magni Tonantis et cum Aesculapius fatis invitis Hippolito vitam reddidisset, omnipotens fulmine misso eum perfregit.

Index.

A. Dei.

pagina

§ 1. Dei in diversas transeunt figuras 4
§ 2. Dei homines animaliaque in diversas formas mutant . . 5
§ 3. In dubio est, quis immortalium transformaverit homines . 8
a) in animalia 8
b) in arbores, saxa, fontes aliasque res vita carentes . . 8
§ 4. Vertuntur partes, forma servatur 9
§ 5. De transformationibus, quas Medusae caput, Cerberus Terraque efficere possunt 11
§ 6. Dei carissimis suis facultatem tribuunt in diversas transeundi figuras. De veneficis 13
§ 7. Deis natura oboediens est 14
§ 8. Dei divinatione praediti sunt 16
§ 9. Dei etiam hominibus hanc divinationem tribuunt . . . 17
§ 10. Dei mortales in immortalium numerum referunt 18
§ 11. Deorum potentia circumcisa est 19

B. Juppiter.

§ 12. faciem hominum, animalium rerumque induitur 23
§ 13. homines in animalia, plantas, saxa et animalia in homines transformat 23
§ 14. mortales in immortalium numerum refert 24
§ 15. Epitheta Jovis 25
§ 16. Juppiter primus est atque summus omnium deorum . . 26
§ 17. Deorum potentia cum Jovis comparata nihil valet . . . 28
§ 18. Juppiter pater genitorque est aliorum deorum 30

C. Fatum.

§ 19. sors 32
§ 20. fors 35
§ 21. casus 36
§ 22. fortuna 37

pagina

§ 23. numen 40
§ 24. fatum 43
§ 25. fatalis. fatiferus. faticanus. faticinus. fatidicus . . . 45
§ 26. fas. nefas 46

D. Fatum et dei et Juppiter.

§ 27. Hominibus fatum saepius idem atque deus est. Fatum quanquam inflexibile produci aut maturari potest . . . 47
§ 28. Dei minimam fati venturique partem praenoscunt . . . 48
§ 29. Juppiter fatorum auctor et dominus est 49
§ 30. De Parcis 50
§ 31. Met. IX. 432 51
§ 32. Conclusio 54

Lipsiae: Typis Hessi & Beckeri.

21 § 21. casus
verbi significationen
ut cecidi
Met. V. 118: .

Huc etiam refe
Ille
scri
pro quo forsitan
illud melius sit dubi
b) idem valet quo
Met. XIV. 192

. . .

Met. IV. 142 T

. . . .

Idem Met. VIII.
425 R. A. 673
Qua de causa
venitur. Met. V
49 T. III. El. I.
El. XII. 65 A. I
c) pro sorte
Met. XIII. 577
movetur, idem
Met. VIII. 714:
Eodem sensu
100 T. V. El. X
Ep. VI. 23 P. II
d) pro calamitatib
laboribusque at
numine perferei
adversis legitur.